

uuet in eternū et p̄anus quem ego d̄a ho caro

pro mūde in ta. **is.** **Q**anus enī uerus est

no descendit et dat uitā mūdo. **Et dicitur.** **Dei**


caris car. nam h. in ho



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Dl. 37.





EBERARTI  
SCHELII DAN-  
NEMBERGEN-

S I S

De Virtutis studio & causis

O R A T I O,

Pro disciplina scholastica habita in  
schola Soltquellensi neapolitana.



*Præfixa est Elegia eiusdem argumen-  
ti, auctore M. MATTHIA BER-  
GIO, illustris Academia Noricæ  
Profess. P.*

*Ἀμυσία τὸ πλεῖον ἐν βροτοῖς μέροσ,  
λόγων τε πλῆθ'· ἀλλ' ὁ καιρὸς δέκνεται.*

NORIBERGAE,  
TYPIS GERLACHIANIS.

M D XVC.

Τὶ χολή; ἔχολή, ἀλλὰ πόνος σχολίος ἄχαρίς, ἦν  
Μήγε Φιλήσουχ<sup>Θ</sup> ἢ πισὸς ἐτῶρ<sup>Θ</sup> ἔη.  
Προσδοκίμοι μὲν ἐπελθόντες, φίλοι ἠδὲ παρόντες·  
Ἀλλ' εἰς ἀπὸ τ' οἰχομένων ἀλέγῃ.

E. S.

NOTOETIKON  
DE CVRA DISCI-  
PLINAE SCHOLASTI-  
CAE SVSCIPIENDA,

auctore

*M. Matthia Bergio, in Altor-  
fina Noricorum Academia Graeca-  
rum & Latinarum lit-  
terarum profes-  
sore.*

*SI quid ab ingenio possis & ab arte magistra,  
Fastidire nefas, unde ea nata, putes.  
Id ratio monet, id sapientia suggerit; & nos  
Re consecrari hoc officioq; jabet.  
Gratia stet facti, bene de te promeritum si  
Est aliquid, tuq; huic, si pote, redde vicem.  
Hoc etiam Sophie, ratio hoc etiam imperat, & qui  
Non facit, hunc nomen barbari habere jabet.  
Vtraq; quae dico ad Musas refer, hasq; palestras,  
In quibus ad Sophiam protinus excolimur.  
Illarum in multos amplissima munera constant,  
Et tamen est multis vilius hisce nihil.  
Nomine utroq; illis debemus plurima multi,  
Sive ut reddatur gratia, sive malo  
Contemptu res ut possit tam sancta vacare  
Horum opera, magnos quos ea constituit.*

A 2

Hci

Hei mihi, quàm paucis placet hoc, ut debita solvant  
Pensa, vel id, quod res postulat ipsa, notent!  
Quàm paucis placet hoc, ut postquã munere primæ  
Doctrinæ celsò in culmine constiterint,  
Præmia nutritici persolvant justa, scholæq;  
Ad culturam aliquid contribuunt studii!  
Eloquar? an sileam? Pars maior turgida fastu  
Ista suis curis esse minora putat.  
Pompa placet, luxusq;, & pompæ serva gulaq;  
Nummorum & gazæ divitis aucupia.  
Amplificare novo certant patrimonia censu,  
Nilq; bonum, nisi quod fert bona lucra, putant.  
Vile genus docti, vilissimus ordo scholarum,  
Nil, quod jure aliquo suspiciatur, habens.  
Hæc pater incanus loquitur; sonat & sapit hæc &  
In patrum mores prona juvenia suum.  
Quòd si quis, quàm fit vulgò, meliore tenetur  
Ad tempus studio, recta aliquando probans,  
Ille tamen, dum tot se circum cernit ubiq;  
Vna mortales se sociare via,  
Versa itidem trito figit vestigia calle,  
Securus lata pergit & ire via.  
Sin etiam hic Musis hæret cordatius, huius  
Exoptans aliquid laudis habere suos,  
At pro re solida species captatur & umbra,  
Pro veris Musis somnia vana placent. (tur,  
(Nempe quibus tantum ad speciem doctrina para-  
Quæ talem ad finem commoda visa fuit)  
Illa probant tantum, quæ per compendia ducunt  
Credita nequidquam, quo sua vota ferunt.

Ille



Illa probant, fūco & phaleris pręgnantia mentes  
 Quę vanas alio, quàm decet, orbe trahunt.  
 Proinde nihil Sophię melioris dona morati,  
 Quod probat affectus quodq; cupido, tenent.  
 Intereaq; ruit damnosa licentia passu  
 Precipiti, & stragem turbinis instar agit.  
 Cernitis hæc (utinamq; ad eò cernatis) ab alto  
 Vos quibus hanc curam tradidit ipse Deus;  
 Quiq; magistratus geritis, populoq; præestis?  
 O tantum hoc porro ne tolerate nefas.  
 Siq; spei optatis segetem melioris habere,  
 Nec res lapsantes precipitare placet,  
 Sit melius vobis exculta puertia cordi,  
 Qua pietas spreta nullum habet alma locum.  
 Ipsa hoc (si sinitis) Schola carmine compellare  
 Vos (quoniam mutã hanc non decet esse) queat:  
 (Illa quidem sedesq; novas, nova querere regna  
 Certa, ista si nos pergimus ire via:  
 Illa quidem omne decus secum ablatura, quod usq;  
 Rebus in humanis enumerare queas.) (xat!  
**H**Ei mihi (ait) mentes hominum quę inscitia ve-  
 In levibus nugis tempora fluxa terunt.  
 Haccine mortales grates ratione refertis  
 Illi, qui vobis dat bona summa, Deo?  
 Siccine consuestis perpendere, quę bona vobis,  
 Qualiaq; è gremiis sint cumulata meis?  
 Omnia quę dici possunt pia, sancta, modesta,  
 Hoc fonte, his rivis, non aliunde, fluunt.  
 Ac ut Vere novo vegetabilis aura Favonii  
 Cum favet, & riguis imber amicus aquis,

*Area mille herbas specie producit amœna,  
 Et visum ornatu versicolore juvat :  
 Sic Schola mille boni species benè culta ministrat,  
 Virtutem, mores, cum pietate decus.  
 Hoc excultum horto præclaros germen in usus  
 Expetitur, multis commoda multa ferens.  
 Hinc veniunt, qui propagant sanctissima verbi  
 Munera, doctores per sacra templa boni.  
 Utilis hinc satrapes, & consiliarius, is qui  
 Publica reꝝ simul consilioꝝ juvet.  
 Curia consilium hinc capit utile: Legibus hinc est  
 Vita bonis: jura hinc optima robur habent.  
 Quiꝝ ornent patriam cives, quiꝝ omne per ævum  
 Virtutis carpant constituantꝝ viam.  
 Tantam ne usꝝ ad eò vobis vilescere mercem!  
 Tam levis hæc vobis esse putata precii!  
 Si quærenda forent spatiis absentia longis,  
 Hæc propter sit fas vasta secare freta;  
 Quî non expansis oblata capeßitis ulnis?  
 Quî non huc vobis pectora tota volant?  
 An quòd præstò sient, quòd prompta, quòd obvia, vi-  
 Talibus ex titulis suspicienda magis? (lent,  
 Ecce etenim, mea dùm vobis tam divite cornu  
 Copia, tam plenòꝝ est ad aperta penu,  
 Quid sit? ut averse mentes alienaꝝ corda  
 Atalis studio sint & amore boni.  
 Ingenii cultus plerisꝝ est sanctius aurum:  
 Census virtute est & probitate prior.  
 Nec modò pauperies quibus est assecla, relinquunt,  
 Quam se desperant posse tenere, viam:*

Hi

Hi quoq<sub>3</sub> queis satis est ac plus quoq<sub>3</sub>, quorum habet  
Tantum aliis multis ut queat esse satis, (arca  
Nil referre sua censent, an discere quisquam  
Curet, an ars cultu deficiente cadat.  
Dumq<sub>3</sub> suam in triviis tollens Sapiencia vocem  
Fert bona discipulis non peritura suis,  
In triviis vacuus spectator obambulat alter,  
Nugandi varias continuatq<sub>3</sub> vices:  
Alter quisquiliis sermonum & inania verba  
Esse putat, bruta que temere aure bibit.  
Scilicet ex animi sensu percepta saporem  
Doctrina extemplo ducere queq<sub>3</sub> solet.  
Hinc exaudiri toties capitalia dicta  
(Si semper meritis digna ferenda forent)  
Semper eget, quisquis frugi sic esse laborat,  
Ut stolidè istorum stulta caterva putat:  
Semper eget, cuicumq<sub>3</sub> modum sapientia vitæ  
Ista dat, & cursus quos habet illa, regit.  
Hæc si non fora tota boant, non plena theatra,  
At thalami referunt & penetræle sonat.  
Vnde effrons summo petulantia robore, mox &  
In quocunq<sub>3</sub> loco dicta nefanda ciet.  
Sic virtutis honor (si quis modò restat) in horas  
Fit minor, atq<sub>3</sub> ævo carpitur ipse suo.  
Sic ipso felle est, Sardoæ & amariæ herba,  
Officii quidquid de ratione docet:  
Fitq<sub>3</sub> adeò, ut quidquid video instituiq<sub>3</sub> geri q<sub>3</sub>,  
Sit quidvis potius quàm pietatis opus;  
Ut vitio pubes teneris assuescat ab annis,  
Idq<sub>3</sub> per ævum ausit turpiter omne sequi.

A 4

Quòd

Quòd si quando suas obiens Sapiaientia partes  
Consilia errantes ad meliora vocet,  
Oderunt monitus, castigatiq; remordent,  
Censuram de se nec patiuntur agi.  
Et licitum est quidvis, nec disciplina, nec ulla  
Qua regat obliquas, restat habena, vias.  
Sic modò tristem agitis falsa inter gaudia noctem  
Mortales: res quod scilicet ipsa probat.  
Vultisne ò vultisne igitur vos perdere sponte?  
Vultisne aeterno bella movere Deo?  
Et feritate sequi Læstrygonas ac Cyclopas,  
Si quid & his aliud se vius esse potest?  
Vultisne ut vitiis simul & scelere omnia inundent:  
Nullum habeat pietas undiq; pulsa locum?  
Æthereis positam regnis fugitisne salutem?  
Æternisne procul vultis abesse bonis?  
Nolumus illa quidem, dicit pars maxima: Sed re,  
Qua detestaris verbo, aliena probes.  
Tum porrò hæc re sunt aliena futura, ubi mores  
Se vestri à vitiis ad meliora ferent;  
Quando scholis sanctis reverentia prisca redibit,  
Quam nunc res illis ipsa deesse docet:  
Harum opus ad finemq; suum metamq; relatam  
Cum sumptu adiūrit quisq; operaq; simul.  
Desinite ò vanas sectari, desinite umbras  
: Mortales: Bona jam vera studete sequi.  
Dum merces extant mercari discite: Dum lux  
Suppetit optata luce studete frui;  
Luce studete frui, tantumq; admittite munus,  
Dum nondum vobis nox super alta venit.

Queri-

*Quærite, dum prope adest, Dominũ: Sapiencia cor-  
 Vera sit, ac Domini sancta corona Timor. (di  
 Deniq, dum tempus patitur, coëmatur olivum,  
 Quo sponso instructa sint veniente, faces.  
**S**ic Schola nec frustra nec vana voce subinde  
 Visa queri nostris est mihi temporibus.  
 Vos quibus hoc animi est, quibus hæc sententia sedit,  
 Rebus ferre bonis ut cupiatis opem,  
 Asserite hæc justo preciosa sacraria honore,  
 Vnde ævi series sanctior ire queat.  
 Nec cessate homines stimulare, monere, juvare,  
 Ut faciant magnos ad meliora gradus.  
 Illud dum SCHELII pietate atq, arte referta  
 Pagina præclara cum ratione facit,  
 Illa quidem certè patronos atq, legentes,  
 Illa imitatores debet habere suos.*



A S EPI-

EPIGRAMMA  
AD D. EBERARTVM  
SCHELIVM.

**N**on ita sub noctē micat hesperus aethere puro,  
Ut radiat virtus justitiæq; decus.  
Sed disciplina via sternitur, ut quis ad ipsum  
Virtutis penetret justitiæq; decus.  
Fons porrò & vena est virtutis, turpia factu  
Vitare à teneris, & facienda sequi. (horas,  
Maeste animi, huic operam cura qui impendis &  
Et signa ad studium tale, EBERARTE, levas;  
Nec metus invidia nec te ulla pericula frangunt,  
Quo minus inceptum perficiatur iter.  
Hoc tanto letare bono: Pulcerrima merces  
Hinc erit, hesperio lumine clara magis.  
Perge modo, facitoq; ut sint eadem ultima primis:  
Pugnanti ad finem palma petita datur.

Conradi Rittershusii  
Brunsvvicensis.

EBER-

EBERARTVS  
SCHELIVS DAN-  
NEMBERG.

Viro integerrimo ac pru-  
dentissimo

JOACHIMO GOE-  
TZEN, VETERIS MARCHIÆ  
*Questori, & Reip. Soltquellensis neapoli-  
tanae Senatori: Domino & amico  
suo plurimum colendo*

S. D.

**M**ITTO AD TE, VIR INTE-  
gerrime ac prudentiss. orati-  
unculam, quam in augustissimo  
scholæ vestræ confessu habui  
tum, cum munus meum publicè depone-  
rem. Dispeream ni mihi ipse arrogantius  
fecisse videar, quòd, cum nullam tituli cu-  
iusdam insolentiam, nullam eruditionis  
copiam jactare possim, libellos conscribe-  
re, oratiunculas fingere & emittere aude-  
deam, nihil veritus Criticorum judicia, aut  
plurimorum odia, in quæ manifestè incur-  
rere

rere videor. Nosti enim mores nostri seculi, quod nihil ferè approbat nisi sua, carpit aliena. Sed cum ne Iupiter quidè omnib. placere possit, eiusmodi rumusculos hominum male feriatorum haud moror: neque enim in eo magnopere laborandum esse existimo, quid quisq; iudicet, cum re-cta facti ratio constat, & publica quæsita est utilitas, quæ modis omnibus malevolorum calumniis aut obtrectationi est anteferenda. Nam qualis quantaque res sit, quamque hoc tempore necessaria, quam defendendam in hac Oratione suscepi, & pro qua quantum licuit, cum officii ratio exigeret, pugnavi acriter; boni omnes & cordati, qui paulum in rebus humanis versati sunt, intelligunt. Etenim si Rempub. si Ecclesiam, si domum uniuscuiusq; salvam & tranquillam cupimus; imo si id, in quo tantopere gloriamur, re ipsa tamen minimè facimus, Christianismum dico nostrum, sancte tueri, atq; ea qua decet ratione ornare volumus: necessaria profectò est Disciplinæ in omnibus vitæ partibus conservatio; qua collapsa haud scio an doctrinæ puritas, Reip. tranquillitas, & domesticum ocium consistere possit. Sed longè



gè maiori diligentia & cura providendum  
est, ut hæc ipsa, quam modo dixi, discipli-  
na in scholis literarum sacra tecta retine-  
atur. Cum enim in iis fundamentum Ec-  
clesiæ ac Reip. præparetur atq; effingatur,  
quod deinceps reliquum ædificium susti-  
nere debet, facile apparet, in eo plus ope-  
ræ ponendum, ne si minus probè jaciatur,  
omne quod deinceps superstructum fuerit  
opus corruat. Non arbitror necessarium  
esse ut longè petita documenta huius rei  
colligantur; saltem intueamur eventum &  
incommoda, quæ disciplinam dissolutam  
comitari solent. Univerfus orbis, si unquã  
aliàs, hoc tempore plenus est periculis,  
fraudibus, dolis atque omni malicia: mul-  
ta regna bello vastantur; magna est sævi-  
tia principum in subditos; exhauriuntur  
privatorum opes exactiõibus immodi-  
cis & inusitatis; in contractibus passim vi-  
get *πλεονεξία* dolis & fraudibus vestita; de-  
nique privata cuiusq; domus docet, uni-  
versalem quandam nostris cervicibus im-  
pendere calamitatem; augent hæc mala  
religionis certamina longè tristissima. Sed  
quotusquisque est qui hoc seriò confide-  
rat? quotusquisque verò qui id operam  
dat,

dat, ut suo loco his ingentibus malis re-  
medium adhibeat? Maxima pars præfidi-  
um sibi quærit in iis quæ nihil sunt; conge-  
rit divitias, atque magnum auri argentiq;  
pondus, & eo modo sibi optimè in futu-  
rum prospectum iri autumat; interim nec  
communibus miseriis afficitur, nec suas in-  
telligit. At verò mihi planè persuasum est,  
potissimam horum malorum causam in di-  
sciplinæ neglectione ac contemptu positam  
esse; quæ si in unoquoque hominum statu  
atque ordine, præcipue verò in scholis, ita  
ut decebat, restitueretur, atq; in usum re-  
vocaretur, multorum improbitati ac pe-  
tulantiæ occlusæ fores essent, ita ut jam sal-  
vi esse possemus; minus certè mali sentire-  
mus. Quæ omnia licet verissimè dicantur,  
& luce meridiana sint clariora, non desunt  
tamen, qui hoc, quod est multò maximū,  
& in quo tum universorum tum uniuscu-  
jusque salus sita est, aut prorsum contem-  
nunt, aut certè segnius curant: Quidam si-  
biipsis nimium placentes scientiæ cujus-  
dam persuasione, & occæcati cupiditati-  
bus, Disciplinam tanquam ex arce oppu-  
gnant, ac quasi materiam dissidii & litis,  
pacisq; publicæ pestem prorsus rejiciunt;  
quo

quo majore & liberiore ipsi (ut autumant)  
tranquillitate fruuntur, & molestiæ habe-  
ant minimum, delicatuli nimirum, qui tan-  
tum onus sibi imponi nolunt; ideoque ad  
gubernacula sedentes cum secundo ven-  
to navigare possent, obliquare cursum  
malunt, auram captantes inconstantem &  
fallacem, ob tempestatem subsecuturam.  
Cuius quidem rei causam aliam hoc tem-  
pore non video, quàm eam ipsam, de qua  
modo dixi, nempe quod illi ipsi aliter e-  
docti atq; instituti non sint, similesq; ha-  
bere cupiant labra lactucas: nam impro-  
bitate quadam eos hoc facere verisimile  
non videtur, cum nihil minus quàm tales  
perhiberi velint. Quare viribus omnibus  
contendendum est, ut huic latenti malo  
(neq; enim ab omnibus animadvertitur)  
maturè occurratur, id quod maximè in-  
cumbit iis, qui scholis, qui Ecclesiis, qui  
Rebusp. præsumt. Cum autem res ita tulif-  
set, ut mihi quoq; huius rei cura, in bima-  
tu illo quo institutioni puerili in vestra ur-  
be præfui, imponeretur; non alienum ab  
officio arbitratus sum, si à capite ipso rem  
aggrederer, atq; de Disciplinæ instauratio-  
ne sollicitus primum essem; quippe quòd  
ferè

ferè inutilis esse & supervacaneus reliquus labor omnis videretur, qui institutioni impendebatur, nisi disciplinae fulcris sustentetur: itaque & Leges scholasticas in Senatu suasi, & in aliis multis ordinem certum expetivi. Quæ res etsi minus fortasse feliciter successerit, multis tamen de recuperanda Disciplina & cogitationem iniecit, & spem fecit; nec minus me in proposito confirmavit. Quorum testis locuples esse poterit hæc præsens Oratio; & Pædonomia scholastica jam olim à me, eadem de causa conscripta, atque inclyto senatui oblata, plenius aliquando edocebit. Tibi autem, IOACHIME, cui cum pro officiis summis in me collatis longè majora debeam, eo tamen nomine hoc quicquid est opellæ inscribendum putavi, quòd te eadem de re gravissimè conquestum sæpius audiverim: teque disciplinae tam privatae quàm publicæ vindicem & assertorè cognoverim, id quod administratio domestica & publica ostendit. Utinam verò multi idem & approbarent & facerent. De quibus tamen cum hîc dicendi locus opportunus non sit, plura non addam. Accipies ergo hoc scriptû eo, qui tua prudentia atq;  
huma-

humanitate dignus est animo ; & accipi-  
es ita , ut legendo meam erga te obser-  
vantiam , ac vestram Scholam , adeoque  
Remp. universam studium benevolentiamq;  
solitam agnoscas ; meq; vicissim me-  
aque omnia in tuum patrocinium susci-  
pias , dum Deus me reducem , patrias ter-  
ras sua benignitate & clementia repete-  
re concesserit. Interim te cum conjuge , li-  
beris , totaq; familia incolumem ac salvum  
esse quam diutissimè velit is , in quo om-  
nes sumus , vivimus & movemur.

Ex inclyta Norimberga, III

Idus Iunii, Anno

CIO IO XVC.



B

ORA-

O R A T I O  
D E V I R T V T I S  
S T V D I O E T C A V -  
S I S

Pro disciplina scholastica, in ludo literario  
Soltquellensi Neapolitano habita pridie  
Idus April. Anni M D X V C.



*I quis fortè, viri reverendi,  
patres amplissimi, adolescen-  
tes item generosi ac nobiles,  
tum reliqui quos huc acces-  
sisse video, prudentia, erudi-  
tione ac virtute prestantes, si quis inquam  
fortè nunc adsit ignarus instituti & con-  
suetudinis Scholarum; miretur profectò  
qua sit tanta necessitas huiusce cause, quòd  
diebus festis ocioq; publico & omnibus ne-  
gociis intermissis, unus hic scholasticus la-  
bor exerceatur. Idem cum audiat morem  
esse, ut ii, quibus magistratu scholastico ab-  
eundum est, administrata provincia rati-  
onem reddant, ac gratitudinem erga be-  
ne meritos suam oratiuncula publicè de-  
clarent, morem non reprehendet, gratitu-  
dinem nostram probabit, ac vestrum studi-  
um,*

um, & erga rem scholasticam, benevolentiam extollet, quibus ociosis ne in communi quidem ocio illius ornanda amplificandaq; studio libeat esse.

Magnam ergo capio ex frequentia vestra tanta, quantam meminisse non videor, voluptatem, quae eadem alacritatem quoq; mihi summam affert dicendi de iis rebus, quas studiosa juventuti & huic loco profuturas confido, in quo licet animus mihi nunquam defuerit, tempora tamen defuerunt. Nam cum antea per aetatem nondum huius auctoritatem loci contingere auderem, statueremq;, nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere; omne meum tempus in literarum studiis transmittendum putavi: Ita neq; hic locus vacuus unquam fuit ab iis, qui juventutem erudirent; & meus labor in liberalibus studiis versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. Postea verò quàm vestro suffragio in hanc scholam ad Correctoris munus obeundum vocatus sum, facile quidem intellexi, & quid de me iudicaretis, & quid aliis prescriberetis; tamen ab instituto meo non mea me voluntas, sed aliorum rationes

B 2      prohi-

prohibuerunt. Nunc cum & auctoritatis  
in me tantum sit, quantum vos honoribus  
mandandis esse voluistis; tum experientia  
quoque eius rei, de qua dicturus sum, tantum,  
quantum homini non oscitanti ex usu scho-  
lastico quotidiana exercitatio potuit affer-  
re: certe earum rerum omnium vel in pri-  
mis hic locus fructum à me repetere prope  
suo jure debet, ut qui iis auctoritatem suo  
judicio tribuendam esse censuit. Quapropter  
intra mea me continens professionis limites,  
de scholastica puerorum educatione sive in-  
stitutione quaedam in medium afferre consti-  
tui: quod studiosiss. ut facerem praeter officii  
necessitatem, & erga rem scholasticam amo-  
rem, ipsum anni tempus adhortatur. Ete-  
nim sicut homines & omnes res creatae sub-  
jectae & obnoxiae sunt temporum vicissitu-  
dini: ita quoque cognationem cum eo non-  
nullam habent, id quod ostendunt insignes  
temperamentorum in corporibus pro ratio-  
ne anni mutationes. Videmus quemadmo-  
dum hoc anni tempore, Sole propius ad no-  
strum horizontem revertente, omnia qua-  
si reviviscunt ac renovantur: terra enim  
sui prodiga rerum nascentium tum vari-  
etate, tum pulchritudine & odore novam  
speci-



speciem induere videtur, variisq; colorum  
picturis in certamen usque luxuriat; quæ  
res cum omnia animantia tum hominem  
precipue delectat mirifice, & tam corpus  
corporisq; sensus, quam animum exhila-  
rat.

Nam primum ad oculorum acumen  
non solum oblectandum, verum etiam cor-  
roborandum quanta colorum & odorum  
varietas est in plantis, in arborib. precipue  
omnium in floribus, ut sunt, viola alba, pri-  
ma florum ver denunciantium, quam se-  
quitur purpurea & flammea; item Nar-  
cissus, Melanion, Heliochryson & rosa, quæ  
novissimus veris flos est.

Taceo ad demulcendas aures qui con-  
centus avium, precipueq; luscinie diebus  
ac noctibus continuis quindecim garrulus  
sine intermissione cantus; Taceo sapes  
palato gratissimos; tum auram saluberrimam,  
Favoniis hybernum cælum mollien-  
tibus, per venas & universum corpus sese  
insinuantem, unde novus quasi spiritus  
corpori redditur: Animus deniq; sensibus  
externis recreatus maximopere exhilara-  
tur & excitatur, fitq; ad ingenii vires ex-  
serendas promptior & alacrior. Quemad-

B 3 modum

modum ergo hoc tempore natura rerum omnium est vividior & vegetior; ita homo in prima etate (quæ complectitur infantiam, pueritiam, pubertatem, & adolescentiam, donec ad ævum pervenerit; quam in XXV fere etatis anno physici constituent) corpore sensibusq; omnibus, tum animo ac mente valet maximè; ideoq; ad res quaslibet vel corpore peragendas vel sensu percipiendas, vel deniq; mente agitandas & comprehendendas est aptissimus: viget robur corporis ad labores durissimos subeundos; viget sensuum virtus ad res singulares percipiendas comparata; viget mentis facultas ad rerum intelligentiam conducens & memoriam.

Deinde quemadmodum Vere ineunte terra optimè exerceri & coli potest, ut maximo cum fœnore ob cultum reddat id quod accepit: quapropter alii hortorum rosariorum & topiariorum curam suscipiunt; alii in pomariis arbores inserunt, aut in quincuncem, aliave ad speciem oculorum elegante ratione disponunt; alii terram in futurum proscindunt, ut glebas Sol coquat, quæ cum semen sparsum acceperunt, primùm id occultum cohibent; deinde tepesactum vapore & com-

& complexu suo diffundunt, & eliciunt  
herbescentem ex eo viriditatem; quæ ni-  
xa fibris stirpium adolescit, culmoq; erecta  
geniculato vaginis jam quasi pubescens in-  
cluditur; è quibus cum emergerit, fundit  
frugem spica ordine structam, & contra  
avium minorum morsum munitam vallo  
aristarum: Alii vero in vinetis scrobes fa-  
ciunt, vites propagant vel putando fin-  
gunt, ne sylvescant sarmentis; hæ autem  
quoniam naturâ caduca sunt, & nisi ful-  
ciantur ad terram feruntur, erigunt sese,  
& claviculis suis quasi manibus quicquid  
apprehendere possunt amplectuntur; pal-  
mites deinde aëris calore tepesacti gem-  
mas protrudunt, à quibus orientes uva se-  
se ostendunt, quæ & succo terra & calore  
Solis augescentes primò sunt peracerba gu-  
stu, deinde maturate dulcescunt, quibus  
nihil potest esse tum fructu latius, tum a-  
spectu pulcrius. Eodem modo homines in  
primis annis tanquam cera fingi possunt:  
Quare tum modis omnibus sunt excolendi  
& amputandi, ne, nisi diligenti institutio-  
ne & disciplina quasi manu ducantur, &  
veluti capreolis sive claviculis fulciantur,  
ad terram, hoc est, ad malum proni feran-

B 4 tur.

tur, vitiisq; sylvescant, & in beluinam feritatem degenerent.

Deniq; sicut hoc anni tempore diversitas rerū nascentium fecunditasq; apprehenditur; neq; enim omnes arbores florent aut fructum ferunt; quædam sunt tristes quæ non sentiunt annorum gaudia: nam neq; ilex, picea, larix, pinus ullo flore exhilarantur, natalésve (ut ait Plinius lib. XVI. cap. XXV) pomorum recursus annuos versicolori nuncio promittunt; fici quoq; atque caprifici protinus fructum flores gignunt, in quibus mirabiles sunt & abortus, qui nunquam maturescunt; & inter vites pessimi generis sunt, quarum folia sicut labrusca, antequam decidunt sanguineo colore mutantur, teste eodem Plinio lib. XIV cap. III. Ita in juvenili ætate varietas ingeniorum, & ad quæ munia obeunda unumquodq; aptum sit maximè conspici & judicari potest. Quare quædam institutione fideli destituta in ipso ætatis flore ac in herba arescunt, & tanquam poma immatura decidunt; quædam antequam ad frugem perducuntur, degenerant & disciplina se subtrahunt; pauca verò institutione & disciplina severa atq; acri emollita & excul-

exculpta florem proferunt latissimū futura  
messis indicium, cuius fructu deinde tum  
Ecclesie tum Respub. vescuntur atq; satu-  
rantur. Cum ergo non parum sed permul-  
tū referat, utrum sic an sic puer educetur  
atq; assuefiat, teste etiam Aristotele lib. II.  
Eth. cap. I. neq; indignum hoc loco, neq; à  
tempore alienum iudicavi, si de hac re  
quædam in augustis. hoc confesso perora-  
rem. Quamobrem veniam peto à vobis, re-  
verendi prudentissimiq; viri, ut me de pu-  
erili institutione differentem benignè atq;  
attentè, sicut facitis, audiatis. Cum autem  
duæ sint partes ad institutionē scholasticā  
pertinentes, una quæ ad eruditionem sive  
scientiam & eloquentiam in pueris exci-  
tandam & alendam pertinet, quam dida-  
xulw; altera quæ ad mores excolendos  
comparata est, quam ñdixulw; licet appelle-  
mus; de utraq; hoc tempore agere non est  
nostrum propositum, præsertim cum uni-  
versa institutionis ratio satis, ut opinor, in  
Pædonomia nostra scholastica sit exposita.  
Pauca ergo pro ratione temporis de posteri-  
ore parte, Ethica nimirum sive morali, di-  
cemus, & de virtute inquiremus, qua ra-  
tione vel quibus mediis illa quàm optimè

B s confor-

conformari in pueris possit; id quod manifestum fiet, si primum, quæ cause sint quibus virtus omnis comparatur, explicatum fuerit: Quibus expositis & quid gubernatio scholastica hac in parte requirat, & verò, quæ fuerit summarationū mearū, dum apud vos aliquam partem operarum scholasticarum obivi, dilucidè perspicietis. Maximè verò vellem R. P. Q. V. me re ipsa omnibus id quod dico probare potuisse potius, quàm ut nunc discessurus verbis tempus tererem; sic & ego meorum studiorum fructum aliquem percepissem, & gymnasium vestrum majorem quoque utilitatem ex meis qualibuscunque laboribus haurire potuisset: Sed quoniam, Deo ita disponente, mihi in hoc loco diutius commorari non licet, proindeque id quod proposueram ulterius opere ipso exequi nequeam, quanquam ex hac re nonnullam animo molestiam capio, tamen facile patior sive potius gratulor oblatam mihi occasionem de his rebus pauca dicendi, ut viri boni saltem intelligant, quis meus in hoc officio fuerit animus, & quid prestare potuissem, nisi alia impedimèta & remora obstitissent. Sed ut rem propositam persequamur, & ad id quod volumus

mus

mus & probamus perveniamus, eò redeat  
oratio unde digressa est. Magna olim &  
difficilis inter Philosophos de Virtute qua-  
estio fuit, non tantum quid ea esset, sed qua  
ratione eadem ab hominibus acquiri pos-  
set. Cum autem quatuor sint causa, per quas  
homines res bonas acquirere videntur, ex-  
ternae duae ut Deus & Fortuna, & propriae  
hominis identidem duae, Natura & Ars  
(ad quam doctrina & exercitatio sive as-  
suefactio referenda est) utro modo virtus  
homini obtingat, controversum est. Plato  
quidem virtutem θεόπεμπτον ἢ θεόδοτον εἶ-  
ναι, hoc est, divinitus dari hominibus arbi-  
tratus est; alii verò Fortuna seu casu eam  
obtingere; quidam naturalem esse dixe-  
runt; Peripatetici doctrinae atque exerci-  
tationi primas in hac parte attribuerunt.  
Digna porrò est Christianis hominibus di-  
ligentia, videre, quorum ex his sententia  
sit melior, quaeque virtutis causa potissimum  
esse statuenda sint. Sed de externis causis  
Fortunam nos prorsus rejicimus, quippe cū  
non tam causa, quàm causa ignoratio sit  
dicenda: & sanè absurdum fuerit, imò sce-  
leratum, rem omnium maximam & pul-  
cerrimam, quam nec Lucifer nec Hesperus  
splen-

Splendore vincit, cæco fortuna arbitrio per-  
mittere, cum ne cætera quidem bona (Na-  
tura dico & artis) licet multò minora, ni-  
tantur casu; naturam enim per se alioqui  
brutam providentia regit, artem verò  
prudencia. Etenim cantare discunt homi-  
nes (ut ait Plutarchus) equitare, agrum  
colere, caloiare se & amicire, propter quæ  
tamen nunquam Reipub. tranquillitas est  
conturbata; neq; enim, ut Plato ait, ob pe-  
dis ad lyram incompetentiam frater fra-  
trem oppugnat, aut amicus cum amico con-  
flictatur, aut civitas contra civitatem  
bellum movet; neq; dissidium domi inter  
virum & uxorem de subtegmine vel sta-  
mine unquam extitit: attamen neque te-  
lam neq; lyram tractare, aut saltare rectè  
didiceris, nisi multum & opere & indu-  
stria in his posueris. Quæ ergo tanta est de-  
mentia, virtutem fortuna temeritati vel-  
le adscribere, cum nunquam temeritas  
cum sapientia commisceatur, nec ad consi-  
lium casus admittatur, ut ait Cicero pro  
Marcello. An si quis lichenem curare vel  
reduviam medici esse affirmans, pleuritim  
verò, Epilepsiam, hecticam & phrenitin  
ad circulatorum aut anum quandam in-  
doctam



doctam ablegans, irridetur; is, qui rerum  
frivolarum & puerilium disciplinam, præ-  
cepta & monita esse dixerit, nec casu addi-  
sci posse; Justiciam verò & temperantiam  
colere, Remp. administrare, & quæ alia  
sunt huiusmodi officia ritè præstare, nullo  
studio, nulla arte & certa ratione, sed qua-  
si fortuito hominibus contingere, affirma-  
re audet, non meritò explodetur? Sed de  
Fortuna satis. Sequitur altera causa, ni-  
mirum Deus sive sors divina, quam solam  
Plato virtutis causam esse asserit in Meno-  
ne: Neq; enim virtutem vel naturâ inse-  
ri vel doctrina acquiri posse ait; sed divi-  
na quadam sorte illam accedere absq; in-  
telligentia, his quibus accesserit, censuit:  
Ac quemadmodum fatidica fœmina, quas  
Sibyllas vocarunt,

—— afflata numine quando

Jam propiore Dei ——

res mirabiles respondebant (Illis namq;

—— mentem animumq;

Delius inspirat vates, aperitq; futura) At

Vt primum cessit furor & rapida ora quie-  
runt

similes sunt reliquarum mulierum. Quem-  
admodum (inquam) hæ sunt fœmina com-  
para-

parata, sic homines virtute präditos esse  
putat tantisper, dum divino flatu excitantur;  
à Deo vero relictos virtute quoque de-  
stitui opinatur. Atque inde Lacones virum  
bonum, hoc est, virtute präditum, divi-  
num appellant. οἱ γὰρ Λάκωνες ὅταν ἰνὰ ἑγ-  
κωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, θεῖον ἀνὴρ (Φάσιν)  
ἔτι, inquit Aristoteles. Videtur quoque & Ho-  
merus huic suffragari sententiae, cum in-  
quit:

Ζεὺς δ' ἄρετῶν ἀνδρῶσιν ὀφέλλειτε μυνείθετε  
ὅπως κεν ἐθέλησιν· ὁ γὰρ κράλις ἔσται πάντων.  
Et certè si s. scriptura, ut par est, credimus,  
cum, ut D. Jacobus ait, omne donum per-  
fectum è supernis in nos derivetur à patre  
luminum, necesse quoque est, virtutem Dei  
donum esse: sed hoc quatenus accipiendum  
sit ex sequentibus intelligetur. Num ergo  
virtutis causa est in natura hominis, ita  
ut eam ex seipso petere homo possit? Fue-  
runt sane & adhuc sunt, qui à primo ortu  
virtutem nobis insitam esse voluerunt, ita  
ut omnes boni vel mali nascerentur; ideoque  
nulla arte emendari natura vitiositatem  
posse, neque virtutem semel innatam infrin-  
gi aut debilitari. Vnde vulgata illa Pro-  
verbia: Aut regem aut fatuum nasci oportere;

tere; Item, Nunquam ex malo patre bonus  
filius: Et graecum illud:

ἔδειξεν ἔκων πονηρὸς, ἔδ' ἄκων μάκαρ.

Sed horum sententia cum sit absurdissima,  
merito est explosa. Nam primum omne vir-  
tutis studium extinguit, dum non agendo  
comparari virtutis habitum, sed nascendo  
nobis dari & inseri docet. Deinde inducit  
quandam voluntatis & facultatis in a-  
gendo necessitatem, ita ut aut ex bono ma-  
lus, aut ex malo bonus fieri nequeat, sed ne-  
cesse sit bonum semper bene, malum malè  
agere. Cuius contrarium experientia quo-  
tidiana satis evincit; quapropter hanc o-  
pinionem Aristoteles quoque improbare vi-  
detur, ut patet ex cap. 1. Eth. Nicom. lib.  
II. Restat ex superius propositis causis Ars,  
quae in doctrina sive preceptionibus, atque  
exercitatione sive assuefactione, quae do-  
ctrinae individuus comes est, consistit. Hic  
verò sese exhibet nobilis illa quaestio à Pla-  
tone & aliis disputata: Num virtus doceri  
aut arte aliqua acquiri possit, necne. Pla-  
to, qui Deum nostrarum actionum causam,  
& quidem verè statuit (ut supra dictum  
est) doctrinae nullum locum relinquit. Ete-  
nim (ait) si virtus est ex his, quae doceri pos-  
sunt.

sunt, necesse est & doctores & discipulos esse: nam cuius neq; doctores neque discipuli fuerint, id doceri nequit. Atqui experientia testatur, multos illustres viros, sapientia, rerum usu, & virtute insignes, liberos suos in aliis quidem artibus probe erudivisse; in virtutis autem studio eosdem exercere non potuisse, quod quidem sine dubio fecissent, si virtus talis res esset, quæ doceri possit: Nam voluntatem illis defuisse non est verisimile; facultas ergo defuit, unde factum fuit, ut liberi illorum in aliis artibus probè exculti atque instructi fuerint; virtute autem paterna prorsus destituti. Exempla huius rei suppeditant nobis plurima historia veteres & recentes: Nam Themistocles, Aristides, Pericles, Thucydides, viri præstantissimi in Attica repub. Cicero civis opt. in Romana, liberos alioqui nec indoctos nec insipientes, moribus tamen pessimos post se reliquerunt: Exempla ex nostra memoria proferre possem, nisi apud omnes id quod dico esset in confesso, adeò quidem, ut in Proverbiū quoq; abierit; ὀνδρῶν ἠρώων τέχνα πῆματα, Heroum filii noxa. Refert alicubi vir clariss. M. Neander, civē quendam eius loci per jocum, occasione  
ita

ita ferente, dicere solitum fuisse: *Laudate, laudate, Dat jo kein wyser Man einen flugen Son late.* Et manet hodie vulgatus jocus, Ex sapientiss. patribus stultiss. propagari liberos. Ex quib. omnib. sequi videtur, non situm esse in doctrina atq; institutione, ut quis probus efficiatur. Atq; hac Platonis de virtutis doctrina fuit sententia; quam veram esse nostrorum quoq; probarent mores temporum, nisi plerisq; parentibus voluntas potius quam facultas liberos suos in virtutis studio exercendi deesset. Sed ad Platonem revertamur: Is ergo virtutem doctrina comparari nullo modo posse affirmavit: quæ sententia si vera est, eundem quorsum Scholæ (quæ sint officinæ morum ac pietatis) institutæ sint; quorsum item tot leges ferantur, non video? neq; enim si doctrina nihil prodest, adsuefactio quicquam efficere poterit, cum illa huius sit causa & quasi nutrix. Verum contraria sententia ab Aristotele & reliquis philosophis est recepta, qui Virtutem doctrina & exercitatione ab homine acquiri posse ajunt. Et extat fragmentum in Plutarchi Moralibus, in quo ostenditur, quod virtus doceri possit, ex comparatione cum  
C aliis

aliis artibus & facultatibus: Vbi disertè  
ait Plutarchus, quod is qui virtutem doce-  
ri posse negat, eam ex rerum natura pror-  
sus tollat. Videtur & huic sententiæ suf-  
fragari ille apud Homerum sapientiæ hu-  
manæ oceanum, qui inquit:

ἔδ' ἐ με θυμὸς ἀνώγει, ἐπεὶ μάθον ἔμμεναι ἐσθλὸς  
Et alibi Phœnix ad Achillem ait:

Τὴν ἐκά με παρέηκε διδασκέμεναι τὰδε πάντα,  
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηνετῆρά τε ἔργων.

Ex quibus versibus idem Plutarchus in vi-  
ta Homeri colligit virtutem doceri posse; ἐκ  
ᾧ τ' (inquit) εἰρημένων δηλονότι, πᾶσαν δ' ἐπιπὶ  
ἀποφαίνε διδακτῶν. Verum enim verò ex  
horum sententia hoc rursus incommodi  
sequi videtur, quòd, si virtus non nisi do-  
ctrina & institutione acquiratur, mali ex  
ignorantia peccent, qui aliter docti aut in-  
stituti non fuerunt, & propterea meliora  
scire nequeunt. Atque ita scelera omnia  
quantumvis magna per ignorantiam ex-  
cusari posse, neq; conscientia ulla relinqui  
in talibus videtur: quod est contra aper-  
tum testimonium Pauli ad Rom. 1.

Haëtenus R. P. Q. V. diversas & dis-  
crepantes de virtutum causis hominum  
sapientum audivistis sententias; tempus  
nunc

nunc esse videtur, ut tandem constituamus, quanam igitur virtutis sint causa: ita enim qua ratione pueri virtute imbuendi sint intelligetur. Quæ res ut fiat manifesta, ex veris fontibus ac fundamentis eam extruemus, quod commodissimè fieri poterit, si ab hominis natura initium faciamus, & quousq; illa in hac re progredi possit, ostendamus. Constat duas esse animæ hominis duasque sive partes (nam & hoc controversum est quo nomine appellandæ sint) quarum sive facultatum sive partium vi et efficacia homo, accedente corporis atq; externorum sensuum ministerio, actiones omnes perficit. Sunt autem illæ, Mens & Voluntas. Mens princeps animi virtus innata sua luce ac vi res animo conceptas intelligit & iudicat, discernit honesta & turpia, tum voluntati præscribit quid agere debeat, & rectorix est Locomotiva. In voluntate deinde est appetitus & electio, quæ res ab intellectu monstratas velle aut rejicere potest. In mente igitur naturales notitiæ insitæ sunt, quæ discernunt virtutem à vitiis, & sunt rectorices vitæ, quas si tanquam ducem voluntas sponte sequeretur, virtutes in homine naturales es-

se nullum esset dubium. Verum cum post  
lapsum Adæ facultates tam mentis quàm  
voluntatis insigniter sint corruptæ ac de-  
pravatæ, quæsitum fuit olim & nunc, An  
& unde homo tum intelligentiam tum vo-  
luntatem Boni habeat? Num ex seipso, an  
verò à Deo? Et si à Deo, num ab ipso solo,  
vel tanquam adjuvante causa? Qua-  
rum quæstionum explicatio cum admodum  
sit difficilis ac multa in se complectatur,  
neque etiam huius sit loci aut instituti, in  
presentia pleniore earum declaratione ad  
Theologos remissa, breviter tantum ea que  
ad nostrum institutum pertinent, percur-  
ram. Homo quatenus nunc est & nasci-  
tur, habet ac retinet facultatem intelli-  
gentiæ & voluntatis. Nam etiam post la-  
psum in mente reliquæ manserunt noti-  
ciæ discernentes recta & non recta, ut es-  
sent testimonia de Deo, actionum norma,  
& semina artium vitæ necessariorum; In  
voluntate quoque sunt quedam inclinatio-  
nes suo genere bonæ, ut σοφία καὶ ἀρετὴ φυσικαὶ,  
quæ sunt semina virtutum civilium;  
item actiones quedam, ut velle, nolle, sus-  
pendere actionem, imperare locomotivæ:  
Quæ enim alioqui esset differentia hominis  
à bru-



à brutis & inanimatis? Atque his viribus  
præditus homo naturâ potest intelligere &  
appetere bonum, quatenus videlicet ratio  
aut sensus decernit id esse bonum humane  
nature aut societati publicæ: Sed veri bo-  
ni verâq; virtutis intelligentiam & vo-  
luntatem ut habeat, nisi à Deo ac per De-  
um conversus sit, tantum abest, ut Scriptu-  
ra dicat, cogitationes hominis malas esse  
inde à puero. Tanta enim post lapsum cæ-  
citas, tanta tenebra mentes hominum im-  
providas occuparunt, ut agrè quid bonū sit  
intelligere homo possit; multò verò maior  
in voluntate est ἀταξία & aversio à Deo,  
ita ut sæpe iudicium mentis licet rectum  
antevertat, & sicut navis à syrtibus agi-  
tata, rapiatur affectibus, alia atq; alia  
querens objecta, quæ magis turpia sunt  
quàm honesta, aut legi nature consenta-  
nea. Hac ergò mala in nobis non nisi à Deo  
tollī vel mutari possunt. Quando verò Dei  
Spiritu regeneramur, tum & intelligimus  
& sponte volumus, & velle quoq; debemus,  
ὅσα ἐσὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἀγνὰ,  
ὅσα περὶ φιλή, ὅσα εὐφρημα, ut D. Paulus in-  
quit Phil. 4. vers. 8. Ex quibus intelligitur  
hominem naturâ habere quidem habitu-

dinem sive aptitudinem ( ἰκανότης, græci  
vocant) aut capacitatem ad virtutem ac-  
quirendam; Deum verò addere incremen-  
tum sive ἐπέχθαι, ut & intelligere & velle  
& perficere homo id quod bonum est et vir-  
tuti consentaneum possit.

Dua ergò à nobis causa virtutis hæte-  
nus constituta rectè videntur, Deus & ho-  
mo. Verùm cum tanta mentis & volun-  
tatis in homine sit depravatio, præsertim  
in fragili illa & tenera ætate, ut sua ipsius  
sponte spiritus sancti ductum rectèq; ratio-  
nis præscriptum sequi nequeat, imò sæpiß.  
illi repugnet (nam illa ipsa hominis liber-  
tas seu facultas mentis sæpenumero vinci-  
tur ac prosternitur duabus de causis, infir-  
mitate nostræ naturæ, & diaboli insidiis;  
unde homines, præcipuè verò adolescentes  
judicio nondū confirmato, adeoq; etiam ad-  
ulti incauti interdum ruunt in manifesta  
scelera) necesse est quoq; externā accedere  
diligentiam sive conatum, quo interveni-  
ente puer ita conformetur, ut deinceps ipse  
id, quod rectum esse judicaverit, facilius o-  
pere exequi & in actum producere possit.  
Hoc igitur jam dudum querimus, quam  
potissimum ratione seu via id effici possit?

Hanc

Hanc verò nullam esse aliam quàm Disci-  
plinam constanter affirmamus; Disci-  
plinam voco πειθαγωγία, hoc est, exercitationem  
sive assuefactionem earum virtutum, qua-  
rum semina mentibus nostris insita à Spi-  
ritu sancto excitantur; atq; ita crebra a-  
ctiōe ad habitum quendam deducuntur.  
Atq; hanc omnino ad præcedentes causas  
accedere necesse est, si virtus ulla in actum  
deduci debet. Etenim quemadmodum in  
mechanicis artibus, verbi gratia Archite-  
ctura, etiamsi quis intelligat quæ εὐνομήα,  
συμμετρία ac distributione ædificium sit ex-  
truendum, ut & aspectu pulcrum, tum cer-  
ta ac convenienti partium proportione fir-  
mum, deniq; commoda loci spaciūq; habita-  
ratione facultatum ædificantis & mate-  
riæ, dispensatione, ad usum familiarem u-  
tile sit & idoneum; possit quoq; id ipsum in  
tabula vel ichnographice aut orthogra-  
phicè, pleniùsve per scenographiam arti-  
ficiosè exprimere oculisq; subicere; viderit  
deniq; etiam quomodo marmora scindi &  
poliri, trabes dolari & contabulari, co-  
chlides aptè componi debeant: si non ipse  
quoq; manum admoverit, si non ascia vel  
dolabra uti didicerit, vix primū lapidem



aut fundamentum operis rectè jecerit: Ita  
quamvis quis dictante rationis acumine  
Spiritus sancti luce illustrato, intelligat  
quodammodo, quis veræ virtutis trames  
sit, velit etiam id quod rectum esse videt,  
nisi tamen frequenter in eo se exerceat, ni-  
hil profectò assequetur laude dignum, &  
sepissimè sciens ac prudens non assuefactus  
à virtutis via exorbitabit. Nam, ut est in  
6 de Rep. nisi fortè quis excellenti sit præ-  
ditus ingenio, nunquam vir præclarus e-  
vadet, nisi à pueritia statim in honestis  
versetur act. oribus. Atq; huc pertinet to-  
ta illa Aristotelis de virtutis habitu dispu-  
tatio in Ethicis Nicom. quam ut scripturæ  
& Christianismo consentaneam huc meri-  
tò referimus & accommodamus. Non dis-  
putabo hic subtilius, Num virtutis habitus  
in hac vita in nobis esse possit; Item, Num  
ex frequenti actione virtus quædam com-  
paretur. Id sanè sine controversia verum  
est, quando cunq; animus à Spiritu sancto  
semel est repurgatus, tum hominem eius-  
dem Spiritus auxilio posse bene operari, &  
frequenti actione ad benè agendum assue-  
fieri, ita ut sentiat se in virtutis studio pro-  
fecisse: Habet enim ut cæterarum artium  
actiones,

actiones, ita pietas quoque in virtute posita,  
ortum, progressum ac incrementum, majoresque  
subinde ex disciplina vires acquirit.  
Non enim existimandum est, perfectam  
nobis virtutem caelitus infundi, & quidem  
ociosis nec quicquam tale tentantibus: quin-  
imo his ordo sicut rebus omnibus, ita &  
virtutibus est à Deo praescriptus, ut eas non  
in momento adipisci, sed longo usu & assi-  
duo pietatis exercitio assequi valeamus.  
Atque hoc est quod scriptura nos toties ad-  
hortatur, ut Deum timeamus, eiusque man-  
data observemus, severis additis commi-  
nationibus ac poenis secus facientibus. Vult  
enim Deus esse in hac vita exercitia pieta-  
tis & verarum virtutum; & cum guber-  
natio externarum actionum sit aliquo mo-  
do in nostra potestate, vult nos non ignavos  
& segnes esse, sed sua lege & metu poena-  
rum tanquam vinculis acriter coercere  
membra & occupari honestis actionibus,  
atque iis quotidiano studio assuescieri; ne si  
peccatis nos polluamus, ruamus in poenas  
praesentes & aeternas, ac turbemus pacem  
publicam, & tum aliis tum nobis ipsis noce-  
amus. Sed quorsum attinet in re manifesta  
probanda, argumenta colligere? Ex scri-  
ptura

C S ptura

ptura testimoniis innumeris pene & natura ipsius ductu constat, ne boni quidem viri nedum Christiani nomen absq; disciplina defendi posse, nec Christianismum sine ea consistere aut constitui. Nam qui frenos laxant cupiditatibus, qui volentes alunt incendia vitiorum admisis illecebris, qui non desinunt se polluere sceleribus contra conscientiam, ii turbant Spiritum sanctum, & Christus in illis non est efficax: Contra verò qui se disciplina subjiciunt, & conatum habent bene faciendi, illis non tantum ad virtutem, sed ad veram quoq; facilitatem aperta est janua. Etenim cum primùm incipiunt resistere peccatis, ac luctantur cum pravis cupiditatibus, tum demum intelligunt quanta fœditas quantaq; atrocitas peccato insit; quapropter peccatum odio habere, se ipsos accusare & detestari, & pœnis quibuscunq; devovere tum maxime solent: Interim tamen mens quaerens quo pacto ex tantis malis liberari possit, verbo Dei edocta ac Spiritus S. auxilio firmata, sp̄e concipit, se ex hac lucta emer-suram, qua, comitante fide, ad asylum videlicet Christum à verbo monstratum confugit,

fugit, à quo liberata, deinceps vera iusticia  
& sanctitatis fit particeps. Atq; ita hac di-  
sciplina exercitatio fit dux, sive, ut Paulus  
loquitur, pædagogus ad Christum. Quam-  
obrem nisi Spiritum sanctum impiè ac ne-  
fariè excutere, omnemq; gratiam amitte-  
re, sed è diverso potius Christi participes fi-  
eri velimus, necesse est ut nos ipsos acri ac  
diligenti disciplina ad frenandas cupidi-  
tates & actiones moderandas ac guber-  
nandas assuefaciamus. Quas quidem dis-  
ciplina utilitates meminisse & sæpius in-  
culcare refert plurimum, ne in hunc erro-  
rem delabamur, ut putemus, nos absq; eius-  
modi diligentia & circumspèctione virtu-  
tem assequi, vel nomen Christiani hominis  
tueri posse. Quod tamen non ita à me di-  
ctum velim, ut admisceatur error de re-  
missione peccatorum, aut iusticia coram  
Deo hac ratione consequenda, quam solius  
Christi merito acceptam refero; & tamen  
hec ipsa diligentia in renatis & filium Dei  
vera fide amplectentibus placet Deo & fit  
cultus Dei, si ex fide proficiscatur.

Hactenus ergò de veris virtutum cau-  
sis rectè constitutum est, nempe quod Deus  
tanquam primus motor & agitator interi-  
ores

ores & hominis proprias ac naturales facultates, Mentem & Voluntatem suo illustret spiritu, & ad bene agendum inclinet; accedit deinde ipsa hominis voluntas libera, qua cogitationes conceptas in aciem producit & actu complet: atq; hæc est πᾶσι illa, de qua modò dicebamus, qua sæpius iteratâ crebro usu & assuefactione homo quendam virtutis habitum, licet valde imperfectum, sibi comparat. Atq; hucusq; modo progressi sumus: propius nunc ad institutum accedimus, & querimus, Quomodo hæc disciplina in scholastica gubernatione apud pueros tum excitari tum confirmari possit. In hoc enim cardo totius huius negotii ac propositi nostri versatur, ut ostendamus, & quòd pueri disciplina quotidiana ad virtutem sint assuefaciendi, & quo pacto illud commodiss. fieri possit. Nam cum hæc tenera & lubrica ætas partim propter iudicii imbecillitatem, partim propter affectus & motus pueriles, accedentibus præterea causis externis ut pravo sodalitia &c. nec intelligere satis aut assequi virtutis maiestatem & præstantiam possit, neq; tam constanter in officio perseverare, ut non sæpissimè aberret ( id quod fateri coguntur



guntur omnes, qui vel paulum scholastico  
pulvere sunt aspersi:) propterea præter di-  
ctas causas monstranda erit ratio, qua pu-  
eri in officii honestate & disciplina repagu-  
lis retineri possint. Hic ergo si non tantum  
doctissimorum tum philosophorū tum Theo-  
logorum, ipsiusq; adeo scripturæ iudicium  
(à quo in hac parte discedere, mihi quidem  
est religio) si inquam non solum horum ju-  
diciū, verum ipsam experientiam di-  
cem sequi volumus, fateri necesse est, duo  
esse, quibus disciplina sacra tecta conser-  
vari potest, nempe Doctrinam & Leges.  
Atq; hæc duo ad superiores causas adjun-  
genda esse, omnes sani judicant, nemoq; in-  
ficias ire poterit, nisi omnem disciplinam,  
omne virtutis studium, omnem deniq; ho-  
nestatem & pietatem tollere velit, præser-  
tim cum ne ipsa quidem hominis societas  
ac tranquillitas absq; doctrina moderami-  
ne & legum auctoritate conservari possit.  
Ac de doctrina quidem tam Ethnicorum  
quàm scripturæ suffragio res plana est.  
Quemadmodum enim, ( ut est in versu  
Menandri)

Λύπης ἰατρὸς ἐστὶν ἀνθρώποις, λόγος.

Agra medela mentis est oratio:

Ita

Ita doctrina salubris animum vitiis purgat, & calcar ad virtutem capessendam addit. Quamobrem philosophi eam quam profitebantur sapientiam medicinae similem esse dicebant, ut videre licet in Platonis Phaedro & III. Tusc. apud Cic. Nam sicut medicina morbis corporis medetur: ita philosophia per rationes legitimasq; institutiones virtutem animis hominum affundit atq; instillat, quarum ope à maximo & periculosissimo vitiorum ac perturbationum morbo liberantur, quæ omnem rectæ rationis vim impediunt. Proinde, ut Horatius quoq; præcipit, si

Fervet avaritia, miseraq; cupidine pectus,  
Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem

Possis, & magnam morbi deponere partem.  
Laudis amore tumes? sunt certa piacula,  
quæ te

Ter purè lecto poterunt recreare libello.  
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator?  
Nemo adeò ferus, ut non mitescere possit,  
Si modò cultura patientem commodet aurem.

Videtur & in hunc finem totum ministerium ecclesiasticum institutum esse, ut homines

mines per doctrinam verbi ad perfectionem imaginis amissa reducantur: Nam, ut ait alicubi Dn. Philippus, magna disciplina pars est audire & discere Evangelium, per quod Spiritus sanctus est efficax. Pertinent huc crebra illa adhortationes & admonitiones passim in scriptura adhibita, imprimis in libris Salomonis & Syracidae; ac nominatim in illo Deuteronomii cap. VI. vers. 6. & XI. vers. 15. Vbi Dominus per Moysen populo Israëlitico precipit, ut non tantum ipsi diligenter attendant doctrinam Legis tradita, sed etiam filii eandem inculcent: Ponite (inquit) haec verba mea in cordibus & in animis vestris, te suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docebis ea filios tuos, ut illa meditentur quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris atq; surrexeris. Primum ergo ad disciplinae conservationem in scholis requiritur doctrina, ut nimirum discentes rectè instituantur in capitibus religionis ac pietatis; ut saluberrimis item præceptis, ex scriptura & hominum sapientum monumentis desumptis, imbuantur; deniq; ut inter docendum admoneantur & objurgentur

zur tempestivè & intempestivè: nam hac  
ratione primū discunt pueri quid rectum,  
quid bonum, quid honestum; audiunt item  
quòd & quomodo voluntatem & appeti-  
tum imperio mentis rectè suadentis subjice-  
re debeant, & crebris actionibus ad hone-  
sta studia se assuefacere: quod cum fit, Spi-  
ritus S. est efficax, & illustrat intelligenti-  
am mentis, inflectitq; voluntatē, ut prom-  
tior sit ad parendum rationi. Deinde cum  
voluptates, (quarum blanditiis non facile  
obsistimus) sepe abducant & seducant ju-  
venum animos, ut his tanquam Sirenum  
cantu,

αἰ ῥάτε πάντας

Ἀνθρώπους ἑλγυσσιν, ὅλις (Φέας εἰσοφίην),  
deliniti, affectibus rationem perturbantib.  
in transversum rapiantur, ac disciplina  
virtutisq; studio se subducant; multi quoq;  
spontè vel ob innatam pertinaciā, vel dia-  
boli instinctu repugnent disciplina, & qua-  
si precipites ruant in deterius, etiamsi me-  
liora videant probentq;: propterea ad do-  
ctrinæ adeoq; universæ disciplinæ conser-  
vationem introductæ sunt Leges, quibus  
quasi freno quodam cum boni tum mali in  
officio continentur, ne ultra metas honesta-  
tis

tis transilient: Boni quidem partim præmiis ad virtutem invitantur, ac pudore turpitudinis à vitiis abstrahuntur; mali verò pœnarum acrimonia cohibentur, & ad externam saltem honestatem civilemque tranquillitatem colendam coguntur. Atque hoc alterū est, quod ad disciplina scholastica conservationem necessarium esse arbitramur, ut videlicet certis legibus sint subiecti ii qui Reip. literaria cives esse volunt, quæ quidem Leges non solum jubeant quid faciendum aut omittendum sit, verum etiam puniant delinquentes, aut omnino contumaces & insanabiles tanquã membrum putridum à reliquo corpore divellant & exsecent, ne aliis exemplo malo noceant. Hæ igitur sunt causæ, R. P. Q. V. quas ab initio quærebat, per quas videlicet virtus in pueris informari quàm optimè, & disciplina privatim & publicè inviolata conservari possit. Cæterum ad ea quæ hic de Legibus scholasticis objici poterant, An pueri iisdem subiecti esse debeant, alibi à nobis est responsum. Sic ergo concludo.

In rebus gerendis, cum omnia ea quæ ad eas ritè vel efficiendas vel peragendas per-

D

tinent

continent, adsunt, tum opus feliciter & absq̄  
magna difficultate procedere: Cum verò  
hæc, quibus opus est, desunt, operam ludi,  
ac labores omnes frustra suscipi. At in  
institutione scholastica ad mores in pueris  
informandos opus esse Disciplina, per quam  
juventus assuescat & sensim quasi manu  
ducatur ad actiones honestas; Disciplinam  
verò conservari Doctrina & Legibus, bre-  
viter modò est ostensum. Quamobrem  
Scholam rectè constitutam non tantum  
Doctrina, verùm etiam Legibus instru-  
ctam esse oportet; quibus si careat, guber-  
nationem omnino infelicem & inordina-  
tam esse, in hoc loco summo cum detrimen-  
to ac dedecore Reip. scholastica experti su-  
mus.

Vobis ergò, R. P. Q. V. constituendum  
relinquo, utrum posthac ignaviam, pe-  
tulantiam & improbitatem presidio nu-  
dare, an etiam Scholæ religione armare  
malitis. Etenim, ut & hoc addam, nulla  
fraus maior esse potest, quam quæ hac in re  
committitur. Nam, ut Plato ait, illi quidem  
qui calceos veteres reficiunt, & vestes re-  
sarciunt, per triginta dies latère non pos-  
sunt, si vestes, si calceos peiores reddiderunt  
quam

quam acceperunt: At in neglecta discipli-  
na malum non tam subito se prodit; est  
enim popularis calamitas, quam juvenus  
stolida solet amare, cum naturâ repugnet  
Legum vinculis, ideoq; hæc res in Ecclesias  
& Respub. demum erumpit. Quare si la-  
bes illa & flamma Scholarum statum su-  
um pestiferum, quem æquitate humana  
tueri non potest, Scholæ religione defende-  
rit, quid tandem futurum sit, est manife-  
stum. Sin autem vestra auctoritate, sapi-  
entiaq; R. P. Q. V. ea quæ ob dissolutam  
disciplinam oppressa, deserta, prodita, ma-  
lè gesta sunt, rescinduntur, quæ percussa  
atq; prostrata jacent excitantur, quæ de-  
lapsa jam fluxerunt severis legibus vin-  
ciuntur; erit causa, cur consilium maio-  
rum in ampliss. viris ad Rempub. deligen-  
dis, jure & merito laudare possimus. Nam  
cum multa divinitus à maioribus nostris  
inventata atq; instituta sunt, tum nihil præ-  
clarior quàm quod vos eosdem & inspecto-  
res supremos gubernationis scholasticæ, &  
summæ Reipub. præesse voluerunt: ut am-  
pliss. cives Rempub. bene gerendo, discipli-  
namq; puerilem, si qua in parte ea labora-  
ret, restituendo atq; tuendo, statum civita-  
tis conservarent.

D 2 Atq;

Atq; hæc ferè sunt, R. P. Q. V. quæ attingere hoc tempore breviter volui, ut & officii mihi demandati, meiq; in eo instituti rationem publicè redderem, quod quidem ulterius exequi optarem, nisi me cum ipsa necessitas tum rationum mearum conditio nunc alio avocasset. Video enim & vocationem & discessum fatalem quodammodo esse potius quàm voluntarium; sed hæc committenda sunt illi qui omnia videt & judicat: Interim me voluisse recta gaudeo, & rationem me confido si non reperisse at commonstrasse saltem, quam si ineamus, facilius ea, quæ requiruntur, consequamur.

Tibi verò Deus optime maxime gratias ago tantas, quantas angustia pectoris huius concipere possum, quòd me hominem natum ad regnum filii tui domini nostri Jesu Christi per Baptismum ac Evangelii prædicationem, Spiritus sancti comitante gratia, vocasti; tum bonis omnibus affatim cumulasti; quodq; in literarum studiis me erudiri voluisti; deniq; adversus tot & tanta pericula, invidiæq; fluctus, quibus obrutus penè fuisset, tam clementer protexisti ac conservasti. Certè indignus sum ac minor cunctis miserationibus tuis: verum



rùm nec dignitati meæ fidens, nec indigni-  
tate desperans, totum me dedo tuæ miseri-  
cordiæ, ac rogo ut Ecclesiam tuam satis du-  
riter afflictam, & scholas item miserrimas,  
mundi ludibriis & cachinnis, potentiorūq;  
libidini ac tyrannidi expositas, in tuam tu-  
telam & curam suscipere velis; & doctri-  
nam verbi tui apud nos & posteros nostros  
integram incorruptamq; conservare; do-  
ctoresq; fideles excitare, quibus sublatis do-  
ctrinæ puritas inter homines nequaquam  
consistere aut conservari potest: Deniq; ut  
tam docentes quam discentes, & inter hos  
me quoq; tuo Spiritu regere & gubernare  
digneris, ut tibi grata ac proximo saluta-  
ria atq; utilia dicamus & faciamus, in no-  
minis tui gloriam.

Vester autem, patres ampliplis, conspe-  
ctus & confessus iste post Deum in primis re-  
fecit ac recreat mentem meam, cum intuo-  
eor & contemplor unumquemq; vestrum.  
Video enim hoc in numero neminem, cui  
mea salus cara non fuerit; cuius non extet  
in me summum meritum; cui non sim ob-  
strictus memoria beneficii sempiterna.  
Quare debita observantia & gratitudi-  
ne vestrum erga me amorem, benevolentiam

D 3 am

am et merita, tum quod in Schola huius honorem non gravatim huc accessistis, lubens agnosco; meq; totum deinceps quoq; vestrae fidei & tutela committo, quorum iudicio & auctoritate antea in hunc locum sum adscitus: Ac si quod par erat, parem vobis gratiam referre nequeo, conatum tamen meum vobis non displicuisse gaudeo.

Deinde vestrae generositati, adolescentes optimi, OSVALDE de BADEN-DICK, LEVINE & JOHANNES de SCHVLENBURG, nobilitate & vera virtute insignes, mea potius studia, & si qua sunt officia defero, quam ut prolixè gratitudinè meam commendare vellem. Vehementer lator de vestra praesentia, non tantum mea causa, quam Reip. Nam hoc ipsum indicio est, vos non avorum imagines, non maiorum umbras jaectare, sed veram nobilitatè, quae in sapientia studiis literarum scientia excultis, & virtute posita est, sectari: Etenim insignia nobilitatis à parentibus accepistis; vera autem nobilitas ex vobisipsis petenda vobis erit. Quare nihil nunc addam amplius, nisi ut vos adhorter, ut in ea, quam semel ingressi estis, via constanter permaneat, nec splendore

dore huius mundi, aut vano iudicio vulgi  
ab hoc itinere vos seduci patiamini. Id ve-  
rò quoniam sponte vestra facitis, non dubi-  
to quin amplissimos olim fructus ex ve-  
stris laborib. & studiis sitis percepturi; quæ  
ut Deus gubernet, atq; ad salutem cum pa-  
tria tum vestram dirigat, ex animo pre-  
cor, & votis omnibus exopto.

Vobis etiam viri reverendi atq; doctiss.  
Collega, amici ac fratres debita observan-  
tia colendi, gratiam me debere fateor, tum  
pro officiis mihi prestitis, tum pro conversa-  
tione docta et liberali, qua inter vos, quan-  
tum licuit, usus sum; deinde quòd honoris  
mei causa huc accedere voluistis; ex quo a-  
morem erga me vestrũ agnosco: Cui quidẽ  
ego amoris (utinam ceteris rebus possem)  
amore certè respondebo. Nam mihi ad re-  
munerandum nihil nunc suppetit præter  
voluntatem. Quare memoriam vobis ac  
benevolentiam perpetuam, quam debeo,  
me prestiturum recipio.

In primis verò tibi, RISLEBI, mea de-  
fero officia ac studia, quæ tamen quam sint  
exigua agnosco. Atq; ut huius meæ erga te  
observantia argumentum aliquod exta-  
ret, unum te admonere meus in te & hanc

Scholam amor cogit. Te ab initio aetatis scio  
summè omnium doctrinarum studiosum  
fuisse, omniaq; quæ à sapientissimis ad do-  
cendum discendumq; tradita essent, sum-  
mo studio curaq; didicisse, quæ quidem vel  
tibi vel aliis usui esse possint. Nihil faciam  
insolenter, neq; te tali vel scientia vel na-  
tura præditum hortabor ut sententiæ meæ  
(qui & aetate & eruditione te multo sum  
inferior) subscribas, tantum dicam, quod  
te & omnes spero approbaturus. Me postea-  
quam semel literis animum applicui, o-  
mnem meam curam atq; operam in id con-  
tulisse, ut juventuti scholasticæ prodessem:  
ideoq; relictis aliarum artium professioni-  
bus (ex quibus fortassis maiore & dignita-  
tem & utilitatem capere potuissem) huic  
rei soli incubui; in qua quid præstiterim ne-  
scio, id certè voluisse me, ut non tantum  
doctrina, verum moribus quoq; excoleren-  
tur nostri discipuli, sanctè affirmare pos-  
sum. Tuæ scientiæ excellētī, RISLEBI, atq;  
singulari multò plus quàm nostræ relictum  
est loci. Quare non equidem te moneo, sed  
mihi ita persuasi, te quoq; id agere, ut ju-  
ventus tam in virtutis studio, quàm rerum  
scientiæ erudiatur: id verò absq; discipli-  
næ

na non illa populari & superficiali sed a-  
cri omnino fieri non posse, jam est ostensum.  
Quare te obsecro & publicæ utilitatis no-  
mine obtestor, ut Leges Scholasticas in hanc  
Scholam introduci patiaris. Et quando mi-  
hi quidem in hoc loco commorari diutius  
non licet, tu sis istius rei auctor, tu tibi hanc  
laudem acquiras; id postulat à te Senatus  
amplissimus, rogant cives, requirit patria.  
Parietes profectò huius Scholæ jam letari  
& tibi gratias agere videntur, quòd brevi  
tempore futura sit illa auctoritas in hoc lo-  
co, quæ apud maiores fuit. Erit ea res tibi  
non fructuosa, certè perquam gloriosa. At-  
qui omnes quotquot ante te fuerunt super-  
abis, si per te Disciplina huic Scholæ fuerit  
restituta: neque video quid sperare possis  
amplius aut maius, quàm si auctor vocari  
queas instaurata in hac Scholæ disciplina.  
Nihil enim ex omnibus rebus humanis est  
preclarius aut præstantius, quàm de Scho-  
lis benè mereri: certè videbis totam gu-  
bernationem non tantum tibi, sed etiam  
Collegis tuis fore longè tranquilliolem &  
minus molestem. Etenim memini te ali-  
quando dicere, nunquam antehac Scholæ  
gubernationem tam fuisse turbulentam,  
D s quàm

quam dum ego affuerim. Tuli id tum tem-  
poris ut potui, sicut multa alia. At per Deū  
immortalem, cuius queso culpa ista evene-  
runt? Anne Disciplina illud attribues? ve-  
rum enim vero ut quod res est dicam; ego,  
postquam videbam me fato potius quam  
voluntate huc vocari, id dedi operam ut  
præceptorum quos olim habuissem meorum,  
præcipuè verò Matthiæ Bergii viri in hac  
palastra diu exercitati, laudatum & ab o-  
mnibus approbatum morem imitarer, hoc  
est, ne quid concederem discipulis, quod  
tum ipsorum tum aliorum studiis vel mori-  
bus obesse videbatur. Cum ergò sub adven-  
tum meum offenderem multiplices de disci-  
plina dissoluta civium querelas, offende-  
rem Scholam in qua non ratio, non modus,  
non mos, non officium, non existimatio præ-  
ceptorum, non verecundia quicquam va-  
lebat, sed sine Legibus relicta impetulantia  
& nequitia improbissimorum atq; audacis-  
simorum hominum: ecquid mirum, si im-  
probitas hac et audacia absq; tumultu coër-  
ceri compesciq; non potuit? præsertim cum  
destituti essemus eorum ope & auctoritate,  
quorum intererat providere, ne quid in  
hac parte Respub. scholastica detrimenti  
cape-

caperet. Restituatur ergo huic Scholæ disci-  
plina, quæ, ut audio, ante annos plusculos  
observata fuit; restituantur Leges, quas  
jamdudum neglectas aut ereptas querun-  
tur cives: equidem florentem ac felicem  
hanc Scholam futuram planè confido. Quæ  
cum tui sint muneris, RISLEBI, spero te  
hoc eam in quam à me dicta sunt partem  
accepturum. Quod si feceris, plus apud me  
valere beneficii huius gratiam, quàm in-  
juriæ dolorem volo; meq; tua dignitatis  
non modo fautorem, sed amplificatorem  
cognosces. Verum hoc ut silentio præteri-  
rem facere non potui, non tantum meæ ex-  
istimationis, sed & publicæ utilitatis nomi-  
ne, quæ utraq; in hac parte periclitari vi-  
debatur: idq; tu me vel monuisse, vel pro-  
pter benevolentiam tacere non potuisse puta-  
bis; nam in experiundo vera esse cognosces.

Postremo tibi, JOACHIME GOE-  
TZEN, fautor ac amice perpetuis officiis  
ac studiis colende, quibus verbis gratitudi-  
nem meam declarem, non video; Nullam  
enim partem tuorum meritorum, non mo-  
do referenda, sed ne cogitanda quidem  
gratia consequi possum. Etenim tu hospitio  
liberali me excepisti; domus tua tota sem-  
per

per me omnibus summis profecuta est beneficiis: etiam res familiaris praesto fuit & patuit temporibus ac fortuna mea: Te mei amantissimum cognovi in omni varietate rerum mearum: tu in maximis periculis, gravissimo atq; acerbissimo casu socium & adiutorem consiliorum periculorumq; meorum te praebuisti: tu adversus furentem audaciam, tu contra invidia tempestatem pro salute mea acerrime propugnasti. Quibus tuum non tam erga me amorem ac benevolentiam, quam erga literas, earumq; cultores animum declarasti. Perge verò in hoc proposito literarum studia amplecti & fovere: Experieris enim te ex hac re plus laudis & gloria adepturum, etiam apud posteros, quàm ex iis quae mundus admiratur & suspicit. Mihi quidem non tam mea salus (quam tibi secundum Deum acceptam refero) cara est, quàm pietas erit in referenda gratia jucunda. Verum ego cum tantis tuis officiis non videar mihi respondere posse, Musis (si modò aliqua in posterum apud me supererunt) illud officium delegabo.

Ad vos me converto, discipuli cariss.  
quorum gratia hoc quicquid est laboris &  
studii



studii, quod in hoc loco prestiti, aut potius  
prestare volui, suscepi. Non dubito tamen,  
si paulò diligentiores quàm hactenus in  
studia vestra incubueritis, quin fructum  
aliquem ex nostra exigua opella consequa-  
mini: plerosq; tñim negligentius tractare  
sua studia, quàm par est, animadverti;  
quosdam etiam contumaciam adunxisse  
ignaviae expertus sum. Sed detur hoc tum  
tempori tum moribus: in posterum tamen,  
fideliter vos hortor & moneo, ut operam  
detis, ut hasce vitiorum reliquias emende-  
tis atq; corrigatis, nihilq; vos unquã in li-  
teris profecturos, nisi & ipsi diligentiam  
adhibeatis, & praeceptoribus obedientiam  
debitam praestetis, arbitremini.

Quod reliquum est, quae deprecatus  
sum à Deo opt. max. more institutoq;, illo  
die, quo in hanc cathedram sum colloca-  
tus, ut ea res mihi, scholæ huic, adeoq; Reip.  
huius urbis benè atq; feliciter eveniret; ea-  
dem precor nunc quoq; ab eodem Deo opt.  
max. ut eiusdem Scholæ incolumitas sit  
perpetua, & ut vestrae mentes atq; senten-  
tia consentiant, eaq; res vobis atque huic  
scholæ tranquillitatem, concordiam, letici-  
am felicitatemq; omnem afferat. Quapro-  
pter

pter R. P. Q. U. ob humanum, liberale ac  
gratum hospitium, hanc vobis discedens  
εὐφροσύνην relinquare volui, à Deo precatus,  
ut Solt quella opibus rebusq; necessariis in-  
structa, moribus honestis exculta, in primis  
verò literis clara & pietate veraq;  
religione beata perpetuò  
floreat.

D I X I.

Eventum Suppeditat Deus Laborantibus  
Sedulò.

C, 1. b. lin. 17. peccent, quippe qui aliter. C, 5, l. 14. fe-  
licitatem.



Ex poëmatis G. Bersmanni  
poëtæ clariss.

**D**esinat *Augia* stabulum memorare vetustas,  
Herculei quondã grande laboribus onus.  
*Maius opus tenera sordes purgare juventa,*  
*Maius opus mores emaculare rudes.*  
*Elai non hos amnis purgamina tollunt,*  
*Non Siculum Alpheosi mare jungat opes.*  
*Sed DISCIPLINA vigili, curaq; perenni,*  
*Moribus, & docta queritur arte nitor.*  
*Ars bona, sed postquam cepit vecordia mentes,*  
*Hei mihi quàm paucis reppulit ista famem!*  
*Gratia rara, labor certus, cum pulvere pador,*  
*Premia sunt huius certa magisterii.*



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
BIBLIOTHEK  
MAG. DR. G. H. ...  
Halle  
18...







CL 3233.

8

X 2203305

Sb.

Mi

Qu

maidou


cat hieem cat

bit meum sanguine ha bet

e ternam.

A III





# EBERARTI

SCHELII DAN-  
NEMBERGEN-

SIS

De Virtutis studio & causis

ORATIO,

Pro disciplina scholastica habita in  
schola Soltquellenfi neapolitana.



*Præfixa est Elegia eiusdem argumen-  
ti, auctore M. MATTHIA BER-  
GIO, illustris Academia Norica  
Profess. P.*

*Ἀμυσία τὸ πλεῖον ἐν βροτοῖς μέρεσσι,  
λόγων τε πλῆθος ἀλλ' ὁ καιρὸς ἀγκύσει.*

NORIBERGAE,  
TYPIS GERLACHIANIS.

M D XVC.

